

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul. (Zug disputations)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacob. Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO XV.
PRO EXAMINE
CHEMNITIANO CONCL
LII Tridentini

Proponens Quaestiones

- I. *De duplici iustitia, Prima & Secunda.*
- II. *De preparatione ad iustitiam.*
- III. *Quid verè & propriè secundum scripturam
sit fides justificans.*

Ad quam Deo & Christo Duce,

PRÆSIDE

SALOMONE GESNERO
S. S. THEOLOGICÆ D. ET PROFES-
SORE in Academia Witebergensi, in privata-
rum $\sigma\upsilon\lambda\lambda\eta\sigma\tau\omega\nu$ collegio respondebit

M. LEONHARTVS ERNESTVS
Aurnheimensis Fr.

Ad diem 7. Iulij Anno 1602.

W I T E B E R G A,

Typis VVolffgangi Meisneri.



REVERENDIS, CLARISSIMIS DOCTISSIMISQUE

Viris Dominis.

M. FRANCISCO RAPHAELI, Ecclesiae
Onold. Pastori & superrattendenti;

M. MARTINO CONRADI Scholae ibi-
dem celeberrimae Rectori:

NEC NON

DAVIDI HURTELIO Gundeltzheimen-
fium in diœcesi Guntzenhusana Pastori ac se-
niori

MARTINO LEUTTENMAIRO Eccle-
siae Dei in Aurnheim eiusdem diœcesis mini-
stro fidelissimo.

*Dominis promotoribus, praeceptoribus, Patronis
ac amicis devotè sibi colendis.*

Gratitudinis & perpetuae observantiae ergo
haec theses reponere voluit, debuit.

*M. Leonhartus Ernestus Aurnhei-
mensis Fr.*



THESIS I.



N nomine Christi progredimur in Examine Decretorum Concilij Tridentini, de accepta justitia incremento: deq; preparatione ad justitiam: & de fide justificante. Quaestiones sane trices scholasticis perplexa. Tridentini siquidem patres non aliam constituunt hominis justitiam coram Deo, quam infusam charitatem, inhaerentem qualitatem & habitum in homine existentem. Hisce praemissis positis, non est mirum, tale consequens sequi. Vt enim politica & ethica ελευθερία & δημοσύνη exercitio, vsuq; augentur & confirmantur: sic imaginantur justitiam Evangelij, qua homo justus pronuntiatur apud Deum, usu, exercitioq; & multis bonis operibus conservari & augeri.

CAPVT I. DE DVPLICI IVSTITIA pontificiorum.

II.

Capitulum decimum Concilij Tridentini sic est: Sic ergo justificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur (ut Apostolus inquit) de die in diem, hoc est mortificando membra carnis suae, & exhibendo ea arma justitiae in sanctificationem per observationem mandatorum Dei & Ecclesiae: In ipsa justitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus crescunt atq; magis justificantur sicut scriptum est: Qui justus est, justificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usq; ad mortem justificari. Et rursum: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum. Hic vero justitiae incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat: Da nobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum.

Apoc. 22.
v. 12.
Eccles. 18.
v. 22.
Iac. 2, v. 24.

A 2

Obser.



III.

Observe lector insidiosum synodi artificium. Sumunt doctrinam & testimonia scripturae, quomodo renovatio de die in diem crescere, quomodo inhaerentia dona Spiritus per orationem exercitijs augeri debeant: & sub illa specie longe aliud agunt. Titulus enim est de accepta justitia incremento, & capitulum dicit, eos, qui semel gratis justificati sunt, postea magis justificari per observationem mandatorum Dei & Ecclesiae, ita ut postea ex operibus justificetur homo, & non ex fide tantum. Canon etiam ita loquitur. Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa, fructus solummodo, & signa esse justificationis acceptae non etiam ipsius augenda causam, anathema sit.

IV.

Renovatio est imperfecta. E. non potest Deo placere. Renatus non propter se sed eum propter Christum. i. Pet. 2. v. 5. Esa. 64. v. 6 Psal. 32. v. 6 Luc. 19. v. 26.

Notetur vero, renovationem novi hominis, sicut & mortificationem veteris hac in vita non esse perfectam, & absolutam, sed de die in diem crescere & augeri, donec altera in vita perficiatur. Vitales etiam & necessaria sunt exhortationes in Ecclesia, ne renati accepta dona Spiritus negligant, extinguant, excutiant, sed veris serijsq; exercitijs suscitent, invocato Spiritus sancti auxilio, ut ipse det augmentum fidei, spei, charitatis, & reliquorum donorum spiritualium: qualis enim sit spiritualis negligentiae poena, ostendit parabola de talentis. Nullum etiam dubium est, fidem esse efficacem per charitatem, & esse generatricem bonorum operum, & quidem bona opera fide propter Christum Deo placere.

V.

v. 24.

Et hanc in sententiam locus Iacobi 2. commode dextere potest intelligi & accipi, quod per bona opera sequentia, Abraham declaratur vere fuisse per fidem justificatus, & ostendatur fidem esse non inanem & mortuam, sed veram & vivam. De ostensione enim seu declaratione, contra inanem opinio-



opinionem verae fidei & justitiae, Iacobus manifestè disputat, v. 18.
 inquit enim: Si quis dicat, se fidem habere, ostendat fidem ex
 operibus. Et sumit exemplum Abrahae, quod ipse Angelus v. 21.
 de approbatione seu declaratione interpretatur, cum inquit: Gen. 22.
 Nunc cognovi, quod timeas Dominum. v. 12.

VI.

Si de his doctrina Capitibus in capitulo illo Concilij a-
 geretur, nulla esset controversia: res enim verae sunt. Triden-
 tini verò patres proprie & principaliter hoc non volunt, sed
 pontificiam distinctionem de prima & secunda justitia confir-
 mant & Ecclesia obtrudunt. Primam vocant justitiam, quan-
 do ex injusto quis fit justus, ex peccatore bonus, ex inimico
 Dei, Dei amicus & filius. De illa prima dicunt, quod eam
 opera nulla tanquam debitam mercedem promereantur. Se-
 cundam, quando justus majore justitia & sanctitate augetur.
 Hanc secundam justitiam dicunt posse & debere bonis operi-
 bus comparari: Et illa opera sentiunt promereri justitiam
 majorem, quam illa sit, qua gratis propter Christum in pri-
 ma justitia infunditur.

VII.

Sed illustrius id ipsum est ex Andrady interpretatione. Rom. 3.
 Dicit n. Andrady, Pauli disputationes, quod gratis propter v. 21. 24.
 Christum sine operibus justificemur, intelligendas esse tantum 28. & cap.
 de prima justitia, qua postea secunda justitia nostris nimi- 4. v. 5.
 rum operibus augeatur & amplificetur, ut magis simus justi Gal. 2.
 coram Deo. Subscribit Andrady hoc tempore Robertus dum, v. 16. 21.
 inquit: Nos igitur dicimus, paulum loqui de prima iustifica- Bell. lib. 4.
 tione, quia homo ex impio fit iustus; Iacobum de secunda, qua de Iust.
 iustus efficitur iustior. Et ideo recte Paulum dicere, iustifica- cap. 12.
 ri hominem sine operibus; Iacobum, ex operibus.

VIII.

Reductio haec est scholastica, quod Christus primam tan-
 tum gratiam nobis promeruit, cuius auxilio Concurrente li-
 bero

A 3



bero nostro arbitrio, ipsi postea nostris bonis operibus promereri possimus, ut Deo magis simus grati & accepti ad vitam aeternam, propter nostra opera. Et breviter meritum condigni est Helena illa, de qua Capitulum Tridentinum de accepta iustitia incremento, & Robertus pugnant. Fingunt enim ideo infundi qualitatem seu habitum charitatis, non ut prima illa gratia habeamus salutem & vitam aeternam, sed ut illa gratia adiuti possimus nostris bonis operibus ipsi nobis promereri vitam aeternam. De merito enim condigni, Gabriel ita loquitur. Anima gratiâ informata, per actum à voluntate simul & gratia elicita, de condigno meretur vitam aeternam.

IX.

Hec tam grandia & enormia comprehensa & abscondita sunt in Capitulo illo de accepta iustitia incremento. Nec sanè facile quis, nisi gnarus sit Theologiae scholasticae, si tantum scripturae sententias, quae in illo capitulo allegantur, consideret, ratio animadverteret. Sed habemus Andrady explanationes: quibus adhibitis animadvertemus ex verbis capituli, plane illam ipsam mentem fuisse patrum Tridentinorum.

X.

Quod autem haec opinio ad versa quasi fronte pugnet cum scripturae sententijs non est obscurum. Neque enim de principio tantum conversionis loquitur scriptura, quando tradit, nos gratia propter Christum, sine operibus iustificari coram Deo ad vitam aeternam: ut iustificatio unius tantum momenti sit: postea vero per totam vitam, ut salutem consequamur, per & propter opera nostra iustificemur.

XI.

Nam in Epistola ad Philippenses 3. Paulus tradit, quae fuerit sua iustitia coram Deo ad vitam aeternam, scilicet primo, cum ex Pharisaismo converteretur. Secundo tunc, cum

ad

V. 4. 5. 6.
Y. 7. 8. 9.
V. 10. 11.

ad Philippenses scriberet. Tertia, quando occursumus est ad resurrectionem mortuorum. Num vero dicit aliam fuisse suam iustitiam in principio conversionis, & aliam postea cum ex vinculis scriberet, vel quando occursumus est ad resurrectionem mortuorum. Hoc certe non dicit, sed unam & eandem iustitiam fidei scilicet in principio, medio, & sine describit.

XII.

Idipsum quod Petrus Apostolus in Concilio Hierosolymitano haud obscure declarat Act. 15. Vbi questio tractatur, an gentibus proponenda sit iustitia fidei sine operibus legis. Ne vero ad principium tantum conversionis hoc restringatur, audi quam probationem Petrus afferat. Dicit gentibus sive conversis sive convertendis, ita proponendam doctrinam iustitiae sine operibus legis, sicut nos Apostoli credimus, nos gratia Domini Iesu Christi salvari. Certè vero Apostoli tunc non erant in principio conversionis, cum Petrus hanc sententiam pronunciaret, sed ad minimum intercesserant octodecim anni. Et tamen non dicit, sicut nos credidimus sed sicut credimus nos salvari. Et idem accommodat Petrus ad patres iam defunctos, quod illa ipsa gratia, sine iugo legis salvati sint. Eandem igitur rationem iustitiae & salutis Petrus tribuit principio, medio & fini.

XIII.

Et sane unica tantum est, & semper fuit ratio iustificandi homines inde ab initio mundi. Ergo praeter unicam illam iustificandi rationem alia est nulla. Unum enim & multa sunt opposita, quorum affirmato uno, negatur alterum. Et unum quatenus unum, ea tenus non est multa. Erit igitur unica illa iustificandi ratio vel prima Roberti iustificatio, vel secunda: Si prima, non opus erit secunda: sufficit enim unica illa. Si secunda, non opus erit prima, & ex consequenti divisio illa

Heb. 13. v. 8.



illa Robertica & Tridentina in primam & secundam iustificationem corrumpit.

XIV.

Falsum ergo rationi, & scripturis adversum est dogma illud de differentia prima & secunda iustitia. Et contumeliosum est in sanctissimum meritum Christi asserere secundam iustitiam, quæ in nostris operibus consistit, maiorem, auctiorem, & digniorem esse apud Deum, quam primam, quæ solo Christi merito nititur & quidem non primam, sed secundam iustitiam mereri vitam æternam. Et hæc de accepta iustitia incremento.

CAPUT II. DE PRAEPARATIONE AD Iustitiam,

XV.

Nunc aggressuri Capitulum 6. de preparatione ad iustitiam, animadvertimus artificium Concilij, & tale quidem, ut qui non est versatus in scholasticorum $\pi\alpha\rho\alpha\delta\iota\alpha\tau\eta\sigma\iota\sigma\iota\varsigma$, sed tantum assuetus ad linguam Spiritus sancti, existimet Concilium serio meditari reformationem aliquam doctrinae scholasticae ad normam scripturae. Audimus enim non tam frequentes ibi sonare solos terminos scholasticorum, sed adhiberi in quibusdam locis etiam verba & phrasæ scripturae, sed postea in progressu & ex verbis & ex rebus longe diversum deprehenditur. Licet enim alicubi verba quadam ex scriptura mutuarentur, faciunt tamen Babylonicam confusionem lingue Spiritus sancti & terminorum scholasticorum, iuxta dictum: Vinum tuum est mixtum aqua, Esa. 1. Sinceritatem vero rerum ipsarum, sicut in scriptura tradita sunt, prorsus adulterant.

v. 22,

XVI.

Et huius artificij illustre est exemplum in Capitulis de preparatione ad iustitiam. Omnino certus sive modus, sive ordo.

ordo, in verbo Dei nobis designatus & prescriptus, quo Deus
 utitur, quando vult hominem ad iustitiam deducere, ut acci-
 piat reconciliationem. Et qui ad modum siue ordinem illum
 diuinitus prescriptum non volunt se ductu spiritus accom-
 modare, sed negligunt & conculcant illum: hi ad iustitiam
 non perveniunt. Verum enim est ordiendum esse à notitiâ
 verbi Dei, verum est precedere aliquam Contritionem, ve-
 rum etiam est ad Contritionem accedere fidem in Christum.
 Et hoc modo seu ordine in verbo Dei designato, viam parari
 Domino, ut in ipso, per & propter ipsum, fide consequamur
 & accipiamus iustitiam ipsa scriptura tradit. Esa. 40. Mat. 3.
 Marc. 1. Luc. 3. & cap. Syrac. 2.

XVII.

Si ergo hac esset mens, & sententia Synodi, quod simpli-
 citer vellent monstrare illum, de quo iam diximus, modum
 & ordinem, quo iuxta scriptura traditionem Deus utitur,
 quando homines vult deducere ad iustitiam, & si illa, quæ
 scriptura tradit precedere, tribuerent non viribus liberi ar-
 bitrij, sed gratia Dei, & operationi Spiritus sancti: nec in
 illos præparationibus constituerent meritum aut dignitatem,
 propter quam iustificemur: facile posset de vocabulo præpa-
 rationis dextre iuxta scripturam intellecto conveniri.

XVIII.

Longe verò aliud est, de quo insidiosè dimicat Synodus
 Tridentina, quando de præparatione ad iustitiam disputat.
 Et ne opus sit coniecturis agere, Osius & Andradius disertè il-
 lud explicant: Osius enim in proluxa sua Confessione fatetur,
 scholasticos meritum congrui inde extruxisse, quod apud ve-
 teres quosdam alicubi legatum: Peccatores bonis operibus an-
 te iustificationem factis, mereri remissionem peccatorum, &
 ipsam iustificationem. Quia vero contra meritum illud con-
 grui & ex scriptura & ex patribus, præsertim verò ex Au-
 gustino, multa verè possunt opponi: dicit igitur Osius, Syno-

B

dum

v. 3.
 v. 3.
 v. 3.
 v. 4.
 v. 17.
 v. 20.

D. Luth.
 in Com.
 suo ad Ga-
 latas pro-
 bat præpa-
 rationes
 hæc.



dum Tridentinam maluisse appellare preparationes vel dispositiones ad gratiam, quam meritum congrui.

XIX.

Et ut eo minus sit dubitationis, interpres Concilij Andradius prolixè explicat in hanc sententiam intelligenda esse, quæ de preparatione ad iustitiam traduntur. Hæc est illa Helena Concilij, videlicet scholastica opinio de merito congrui.

XX.

*Bell: lib. 1.
de Iust.
cap. 13;*

Sed inquis: Robertus, qui quasi secundus à Concilio hodiè est, multam facit mentionem gratiæ divinæ. Enumerat enim dispositiones, quibus impij ad iustitiam disponuntur, & earum septem videlicet, fidem, Timorem, spem, dilectionem, pœnitentiam, desiderium sacramenti, & propositum novæ vitæ. Sed fieri illam dispositionem ait, non ut ex nobis, sed ut ex Deo, cuius donum est. Ergo videtur is cum antedictis nihil velle commune habere.

XXI.

*Rom. 3.
v. 24.
Tit. 3.
v. 4.
v. 5.
v. 7.*

Respondeo, ut ut Robertus hodiè multam gratiæ divinæ mentionem faciat: perspicuum tamen fit, intelligenda esse ea iuxta sententiam Concilij. Nam dispositiones per quas impium ad iustitiam disponi inquit, vel sunt respectu Dei solius, vel humani arbitrij, vel utriusq;. Præus non concedit, nimirum solius Dei esse, vel arbitrij humani solius. Posterius igitur dabit, utriusq;. Si vero hoc conceditur, quomodo quæso Paulus divinus logicus justificationem gratiæ Dei in Christo asseribere potest? quomodo benignitati, seu bonitati Τῆ ΧΡΙΣΤΟΥ ΤΙΝΙ ΦΙΛΑΝΘΡΩΠΙΑΣ eam potest tribuere? Et quid fatetur admodum ἐμφοτικῶς: non ex operibus iustitiæ, quæ facimus nos, sed ex sua misericordia salvavit nos, & postea, ut iustificati illius gratia &c. Eat igitur Robertus ebrius Tridentino spiritu, & Tridentine ac Roberticè asseribat etiam dispositionibus suis, quod est solius Christi.

22. Qualis

XXII.

Qualis quæso est Robertus in Chemnitium. Negat Chemnitius meritum Concilij (intellige meritum de congruo) ullibi inveniri, idq; ratione invicta: tunc enim sequeretur etiam hominem iustificari propter meritum suarum dispositionum, non autem propter meritum solius Christi, quod est contra sacra Biblia. Hinc ille pro solita sua modestia inquit, Chemnitium esse improbum & totius antiquitatis imperitum. Quasi vero improbum sit & imperitum negare meritum quod nullibi habetur.

Bell: lib. 1.
de Iust.
cap. 21.

XXIII.

Sed quam affert rationem? Aut loquitur, ait Concilium, de merito operum, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrij, aut de merito operum, quæ nascuntur ex gratia præveniente & ex fide. Si de primo genere loquitur, apertissime improbus est Chemnitius, cum impudenter & prodige mentiatur, ut patet ex 6. sess. cap. 5. & 6. Can. 1. 2. & 3. Si de secundo genere operum loquitur, imperitum se totius antiquitatis ostendit. Vix enim est ullus inter veteres, qui non agnoscat meritum aliquod in operibus penitentia, quæ per Dei gratiam fiunt, ut ostendimus in 2. lib. de penitentia cap. 12.

XXIV.

Deum immortalem: quanta improbitas sci. & imperientia Chemnitij. Videamus Concilium. Docet illud in capitulis & Canonibus allegatis, unde initium iustificationis sit, à gratia videlicet præveniente: & tunc incipere dispositiones ad gratiam iustificantem, cum homo à Deo motus & adiutus incipit credere. Exemplo res fit dilucidior. Fides iustificat, quomodo vero? Iuxta scripturam fit hoc θεσπαινωσς solummodo, & quatenus in predicamento θεσπαινωσς refertur ad obiectum videlicet promissionem de Christo: Iuxta spiritum vero Concilij fit hoc εβελγητιγηνωσς, & quatenus est dispositio prima.

A 2

25. En



XXV.

En quid spiritus Roberticus querat? fidem sci. talem s
 quesit in initium & dispositio ad justitiam, non quod apprehen-
 dat justitiam, h. e. remissionem peccatorum gratis propter
 Christum, in promissione Evangelij propositum, sed quia in-
 citet liberum arbitrium ad eliciendos tales motus seu actus,
 qui ratione meriti congrui necessarii sunt ad consequendam
 justitiam, quam dicunt esse novum voluntatis nostra habi-
 tum.

XXVI.

Et scholastici sane non dissimulant. Sicut enim in philo-
 sophia actio virtutis nascitur ἐκ πρῶτης ἐπιστήμης, hac vero oritur
 ex scientia: eodem modo Thomas philosophatur, justitia est
 habitus voluntatis, voluntas vero non fertur in incognitum,
 sed movetur à potentia cognoscente. Ideo fidem sentit requiri
 ad justitiam tanquam quoddam dirigens voluntatem, ut ele-
 gat motus spei & dilectionis, quibus ita disponatur, ut de cō-
 gruo mereatur infusionem justitiæ. Hac notet lector & indi-
 cet annē Roberticus spiritus injuriam faciat Chemnitio, &
 anne ipse mendax sit, impudens, & prodigus.

XXVII.

Habemus igitur tandem, quid Concilium illis suis præ-
 parationibus querat, ut sci. stabiliatur meritum aliquod no-
 strum, & dignitas aliqua nostra, quæ necessaria sit ad conse-
 quendam justitiam. Dicunt justitiam nostram ita inniti mi-
 sericordie Dei, ut tamen salva sit justitia divina, ut sci. non
 conferatur, sine nostro aliquo merito, & sine nostra aliqua di-
 gnitate.

XXVIII.

Scriptura verò docet, quicquid divina iustitia ad iusti-
 tiam, h. e. reconciliationem peccatoris requirit, totū à Chri-
 sto pro nobis impletum esse, ut quo ad nos mera sit misericor-
 dia gratis nos iustificans sine nostris operibus, tantum ut in
 vera

1. Cor. 1. v. 30

Mat. 5. v. 17.

Phil. 2. v. 8.

Rom. 3.

& 4.

Cal. 2. & 3.

Vera pœnitentia miseriam nostram agnoscentes, gratuitum Hebr. 9.
illud beneficium fide gratis accipiamus non per modum meri- v. 14.
ti aut dignitatis. i. Ioh. 1. v. 7.

XXIX.

Attente igitur consideret Lector, quid illa verba sibi
velint, quæ posita sunt in 7. Capitulo: Homo Christo inseri-
tur per fidem, spem & charitatem. Nam fides nisi ad eam
spes accedat & charitas, neq; unit perfectè cum Christo, neq;
corporis eius vivum membrum efficit. Illud vero mox clarius
explicant. Dicunt enim: catechumenis fidem vitam ater-
nam præstantem petentibus responderi: si vis ad vitam in-
gredi, serva mandata.

XXX.

Omniño alludunt ad disputationes de fide informi, deq; Matth. 19.
fide formata, licet à vocabulis certo consilio sibi temperent. v. 18.
Fidem enim iustificantem nolunt intelligi fiduciam apprehen- Bell. lib. 2o
dentem in promissione Evangelij, Christum mediatorem, de Iust.
cum toto ipsius merito: sed historicam tantum notitiam & cap. 4.
& nudum assensum intelligunt, quando fidem nominant. Et
quia talis fides, quæ aliquando in impijs, imò in ipsis etiam
diabolis invenitur, Iacob. 2. non potest iustificare: Cogitant v. 19
igitur fidei adiungendum esse aliquid, quod maioris sit pon-
deris & meriti, charitatem scilicet, cuius dignitate homo accepte-
tur ad vitam æternam.

XXXI.

Sed imperitè & insulsè de hisce disputationibus, sive
scholasticis & nugatorijs distinctionibus fidei formata & in-
formis strident magis quam loquuntur Tridentini. Nam ve-
ra fides habet veram suam & internam formam, per quam
constituitur & est vera fides & ab alijs rebus distinguitur in-
ter notitiam Christi ex Evangelio & fiduciam. Ergo vera fi-
des non debet dici informis. Adde etiam; Fides & charitas
in articulo iustificationis sunt dissentanea. Fides enim pro-

B 3

missio-



Gal. 2, v. 16. missionis est & Evangelij, charitas operum sive legis. Ergo charitas non potest esse forma fidei. Nullum enim dissentaneum potest esse forma alterius dissentaneae. Quia forma & formatum minime, consentiunt: dissentanea autem dissentiunt. Et haec de preparatione ad iustitiam.

CAPVT III. DE FIDE IUSTIFI-
cante.

XXXII.

Tandem ad fidei tractationem perventuri, proponimus breviter, quod nam sit verum, proprium & genuinum fidei iustificantis obiectum, quomodo quaque ratione circa illud versetur fides iustificans, & quomodo & qua ratione fides in promissione accipiat iustitiam. Equidem certè habet fides in scriptura sive in verbo Dei suum proprium, peculiare & certum obiectum, quod ita respicit & intuetur, ut in eo quærat, apprehendat, accipiat, & sibi applicet illud, cuius respectu merito & dignitate credens coram Deo iustificetur h. e. accipiat remissionem peccatorum, reconcilietur Deo, accipiat adoptionem, & acceptetur ad vitam æternam.

XXXIII.

Sicut enim fides est organon, quo nos apprehendimus & accipimus gratuitam misericordiam Dei remittentis peccata, adoptantis nos & acceptantis ad vitam æternam: ita Deus certum constituit organon seu instrumentum, per quod offert, distribuit, communicat, & applicat credentibus reconciliationem, remissionem peccatorum & vitam æternam. Et sicut meritum Christi non potest apprehendi ad iustitiam & salutem nisi per organon fidei divinitus ad hoc ordinatum: ita si fides alibi quam in suo proprio & principali obiecto quærat iustitiam, non invenit, nec accipit illam.

XXXIV.

Utrumque igitur ex firmis & perspicuis scripturae testimonijs

nis certo constituendum est. Ne vero explicatio illa Tridentinis & Roberticis confusionibus turbetur, per divisionem seiungenda erunt illa, quae à ratione fidei iustificantis sunt diversa. Est enim fides miraculosa 1. Cor. 13. sed multi tales v. 2. audient in illa die, non novi vos, discedite à me: Est fides mor- Matth. 7. tua Iacobi 2. hypocritica seu ficta, 1. Timoth. 1. Et mortuam v. 23. fidem non iustificare, extra controversiam est: Et historica fi- Luc. 13. des: Et est fides quadam generalis, quae complectitur in ge- v. 27. nere historicam notitiam eorum, quae in scriptura à Deo pro- v. 20. posita sunt: & generalem assensionem, qua statuimus ea, quae v. 5. in verbo Dei nobis revelata sunt, vera esse, non propter ar- Hebr. 11. gumenta rationis: sed quia certi sumus à Deo, qui verax & v. 3. omnipotens est, illa tradita & proposita esse.

XXXV.

Et haec quidem generalis fides, quia etiam in impijs esse potest, per se non iustificat. Fides tamen iustificans generalem illam fidem praesupponit & includit. Vacillante enim generali illo fundamento, nec concipi potest, nec in lucta retineri fiducia promissionis divinae misericordiae remittentis peccata propter Christum. Articulus etiam redemptionis & iustificationis non potest recte intelligi, nisi precedente notitia reliquarum partium verbi Dei.

XXXVI.

Neg. subtrahimus hic fidem reliquis articulis seu partibus verbi Dei, quando dicimus proprium & principale obiectum fidei iustificantis esse promissionem gratuita misericordiae Dei propter Christum mediatorem, sed sicut summa, finis & scopus totius scripturae est Christus mediator Luc. 24. Ioh. 5. Rom. 10. Hebr. 10. Ita fides, quando universo verbo v. 26. 27. Dei assentitur, respicit ad scopum & finem scripturae, Chri- v. 39. stum sci. in officio mediatoris. v. 4. v. 7.

XXXVII.

Questionis igitur illius de vero, proprio & genuino fidei obiecto

Gal. 3.
v. 10.

objecto explicatio haud obscura est ex enumeratione principalium partium verbi Dei. Non querit fides, nec invenit iustitiam, ut respicit historias: quia non docet, quomodo ab ira Dei liberemur. Neque iustificat fides, ut respicit minas; quia iram Dei docet. Neque iustificat ut respicit mandata & legem operum; qui docet imperfectionem, de qua scriptura loquitur, maledictus, qui non in omnibus permanserit. Neque iustificat, ut respicit generatim promissiones: quia promissio non adfert pacem & tranquillitatem animae, nisi in speciali applicetur. Ergo restat, ut illa sola fides iustificet, quae respicit promissionem salutis, ut in speciali ad nos pertinet.

XXXVIII.

v. 25.
v. 5. 6. 16.
24. 25.
v. 4.
v. 43.
v. 16.

Enthymema igitur est nostrum: *Authoritas divina ijs in locis, ubi ex professo de fidei objecto, differit, assignat & tribuit misericordiae Dei in Christo, sive (quod idem hic valet) promissioni gratiae verum, proprium & unicum fidei iustificantis objectum.* Ergo illa pro objecto habenda est, nec aliud quicquam. Antecedens est Rom. 3. 4. 10. Act. 10. Ioh. 3. Et vere pijs docet ipsa experientia in serijs exercitijs fidei contra Satanae tentationes nullam esse firmam & solidam consolationem, nisi eam, quae ex Dei misericordia in Christo petitur.

Bell: lib. 1.
de Iust.
cap. 8. 9. 10.II.
In primis
v. 3. 7. 23.
29. 30. 33.
Math. 9.
v. 28. 29.
Luc. 7. v. 7.
9.
Ioh. 14.
v. 11. 12.
Marc. 1.
v. 40. 41.

XXXIX.
Sed rident Tridentini & Robertus Enthymema, & ajunt, assumere nos, quod in questione est, & sic nos non male ratiocinari. Et reddunt rationem ex Epistola ad Hebraeos. II. ubi per totum caput describuntur varia objecta fidei. Et in Evangelica historia, ubi fides multum commendatur, plerumque describuntur objecta externa. Ergo fides iustificans habet pro objecto aliquid aliud praeter misericordiam specialem.

XL.

Respondco ut ut satanico suo spiritu nos rideant Tridentini

dentini & Robertus, & dicant, assumere nos, quod in quaestione est: simplex tamen & vera est obiectionis explicatio. Non negamus, varia esse fidei obiecta, imo fidem in genere versari circa omnia illa, quae divinitus in verbo Dei revelata sunt. Sed jam est quaestio, quod nam illud sit obiectum, in quod fides justificans proprie & principaliter intuetur, quando vult quærere, invenire, apprehendere & accipere remissionem peccatorum, reconciliationem adoptionem &c. Fide transferunt mare rubrum Hebr. 11. sed non in omnibus ^{v. 29.} illis beneplacitum fuit Domino, 1. Cor. 10. Ita in decem ^{v. 5.} ^{Luc. 17.} profus fides apprehendit obiectum externa sanationis, sed ^{v. 17. 19.} vni tantum Christus dicit, Fides tua te salvum fecit.

XLI.

Aliter igitur scriptura loquitur de obiecto fidei in genere: aliter vero constituit illud obiectum, cuius respectu & apprehensione, fides coram Deo justificat ad vitam aeternam. Alia deinde est quaestio de exercitijs fidei in cruce, in obedientia, in petitione, & expectatione rerum corporalium & spiritualium, postquam persona iam fide reconciliata est. Et de hac quaestione disputat Epistola ad Hebræos, quomodo sci. fides post acceptam iustitiam, per patientiam se exerceat; Et in illis exercitijs, quando fides versatur circa alia externa obiecta, ut firma & stabilis sit expectatio, patientia & obedientia: oportet tanquam fundamentum praesupponi & praelucere proprium & principale illud obiectum gratuita sci. misericordiae Dei promissa propter Christum mediatorem.

LXII.

In cruce enim & inter scandala, quando prestanda est patientia, obedientia & expectatio auxilij divini circa alia obiecta, conscientia imprimis & ante omnia angitur de hac quaestione: An Deus mihi sit placatus, reconciliatus & propitius. Et nisi fides iustificans ex proprio & principali suo obiecto, prius de hac quaestione statuat, non potest esse verum, firmum

C



firmum & stabile exercitium fidei circa alia obiecta. Quotquot enim sunt promissiones Dei, sunt vix $\nu\acute{\nu}\alpha\mu\lambda\omega$ in christo Iesu ad gloriam Deo per nos. 2 cor. 1.

v. 20.

XLIII.

Sic firmiter stat Enthymema nostrum, nec vera fatetur Spiritus ille Tridentinus dum ait, assumere nos, quod in questione est, autoritas divina nostra est, qua docet, quod verum, proprium, & principale sit fidei iustificantis obiectum, & quomodo, ac qua ratione fides iustificans circa illud suum obiectum versetur, ut iustificet, sci. non frigida cogitatione, non generali & superficiali assensione: sed ita ut agnoscat, intueatur, expetat, quærat, apprehendat, accipiat, complectatur, & singulis credentibus applicet in promissione christum cum omnibus suis meritis, & in christo misericordiam Dei remittentis peccata. Omnino enim accipere oportet christum & promissionem gratuita misericordia propter christum, illos qui volunt iustificari: qui enim non accipiunt, non iustificantur iuxta dictum Ioh. 1. sui eum non receperunt: quotquot autem acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Ioh. 1. v. 12.

16. & cap.

17. v. 8.

Rom. 9.

v. 29. 30. 31.

33. & cap.

5. v. 1 11. 15.

Gal. 3.

v. 14. 22.

Col. 2. v. 7.

Matth. 9.

v. 28. 29.

& cap. 13.

v. 58.

Marc. 6.

v. 5. &

cap. 9. v.

22. 23.

XLIV.

Quocirca spiritum Tridentinum hinc abire iubemus, ut pote qui nescit, qua ratione fides circa obiectum suum versetur, & qua ratione illud accipiat commentatur spiritus mendax versari fidem circa obiectum & habere vim ac virtutem iustificandi partim ex dispositione divina, partim etiam sua nullo modo ex obiecto suo, quod apprehendit. Sed commentum hoc scriptura sacra penitus est ignotum, uti videre est in locis ubi de fide iustificante tanquam in propria sua sede agitur. Concludimus igitur disquisitionem nostram, idq; in eo, quo incepimus, nomine, videlicet christi, fugientes.

*entes execranda Concilij dogmata de prima & secunda ju-
stitia: deq; merito congrui & condigni: & de fide for-
mata & informi. Huic laus & gloria secu-
lis infinitis.*

F I N I S.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




17470c

Retro

VD17





8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
B.I.G.

Farbkarte #13



O XV.
AMINE
CONCL
tini
tiones
a & Secunda.
tiam.
cundum scripturam
risto Duce,
E
GESNERO
ET PROFES-
ergensi, in privata-
o respondebit
ERNESTVS
Fr.
anno 1602.
R G A,
gi Meisneri.

26
15

